C

DE CHAMAELEONE ALBO

CAP. CCCXXXVII.

NOMINA.

Carduus ſuarius. Cardopatium.

ΑΜΑΙΛΕΩΝ λεύκος Græcis, Chamæleon albus, Carduus ſuarius & uarius Latinis, officinis & barbaris Cardopatium appellatur. Quod nomen hauddubiè corruptū eſt, deductumq; à dictione Pancration, nam ſic olim eſſe nominatū Chamęleonem Apuleius teſtatur: aut à Carduo uario, à qua dictione, u ſcilicet litera in p, & r in t mutata, in Cardopatiū facilis eſt lapſus. Germanis Eberwurtz/ eleganti alluſione ad Carduum ſuarium, nuncupatur. Chamæleon autem à foliorū uarietate dici cœpit. Mutat enim cum terra colores, Plinio teſte: hic niger, illic uiridis, aliubi cyaneus, aliubi croceus, atq; alijs coloribus uidetur. Suarius autem Carduus dictus eſt, quod ſues ſi in polenta exhibeatur, perimat. Ob quam etiam cauſam Eberwurtz Germanis nuncupatam puto.

Chamæleon unde dictus.

Suarius Carduus quare nominatus

FORMA.

Folia habet Silybo aut Scolymo ſimilia, aſperiora autem, acutiora, nigroq; Chamæleone ualidiora. Caule uacat, uerum è medio ſpinam Echino marino, aut Cinaræ ſimilem erigit. Flores purpureos, ueluti capillos, qui in pappos euaneſcunt. Semen Cnico ſimile. Radicē in pinguibus collibus craſſam, in montoſis uerò graciliorem, in profundo albam, aliquatenus aromaticam, graueolentē & dulcem. Plinius libro xxij. cap. xviij. breuius herbam hanc depingit, ſic inquiens: Aſperiora folia habet, ſerpit in terra Echini modo ſpinas erigens, radice dulci, odore grauiſsimo. Quæ certè notæ in uniuerſum omnes, herbæ quæ hodie barbara & corrupta uoce Cardopatiū uocatur, adamuſsim reſpondent, ita ut nemo non eſſe Chamæleonem perſpicuè intelligat. Huc accedit quod facultates etiam eædem ſint. Radix
D enim Chamæleonis albi hauſta, uenenis reſiſtit. Radix etiam Cardopatij ex recentiorum traditione, mirificè uenenis aduerſari, & contra peſtilentiam populatim ſæuientem, ut paulò pòſt dicemus, efficaciſsimū eſſe remediū dicitur. Quod ſi tamen rectiora quis protulerit, non grauabimur hic, ut in alijs quoq;, mutare ſententiā.

LOCVS.

In glabretis montium prouenit, & in ſyluis, ut hinc etiam ſyluaticus Carduus cognominatus ſit.

TEMPVS.

Iulio & Auguſto menſibus cum ſuis floribus effodi poteſt.

TEMPERAMENTVM.

Radix eius calefacit ſecundo ordine abſoluto, deſiccat autem tertio.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix pota acetabuli menſura, latos lumbricos pellit. Sumitur autem in uino auſtero, cum decocto Origani. Hydropicis cōmodè drachma in uino datur: etenim eos extenuat. Contra difficultatem urinæ decoctum eius propinatur. Pro theriaca cum uino pota eſt. Occîdit canes & ſues. Mures item necat ſubacta cum polenta, aut hydrelæo madefacta.

EX GALENO.

Radix eius potui datur acetabuli menſura contra latos lumbricos cum uino auſtero. Exhibent etiam aqua inter cutem laborantibus.

EX PLINIO.

Hydropicos ſanat ſucco radicis decoctæ. Bibitur drachma in paſſo. Pellit & interaneorum animalia acetabuli menſura ſucci eiuſdem in uino auſtero cum Origani ſcopis. Facit ad difficultatē urinæ. Hic ſuccus occîdit canes ſuesq; in polenta. Addita aqua & oleo contrahit in ſe mures & necat, niſi protinus aquam ſorbeant. Radicem

CHAMAELEON
ALBVS.